





D. O. M. A. <sup>R</sup>

ΕΞΕΤΑΣΙΣ

vel

# EXAMEN

QUÆSTIONUM DUUM FAMOSA-  
rum hoc nostro perversissimo tempore

I.

*An imagines & numeri stellarum rerumq; cele-  
stium portendant Ecclesia & regnis Mundi fata sua.*

II.

*An sit Astronomi mysticos numeros interpretari.  
Unà cum appendiculâ, contra Osvaldum Crollium*

*An vis humanae imaginationis sese exere possit extra suum  
corpus, & movere res externas.*

*Examini disputationis publicæ*

in

*Academia Lipsiensi*

*Veritatis stabilicndæ gratiâ subjectum*

à

*PHILIPPO MULLERO Med. Li-  
cent. & Professore Mathematicum publico.*

*Respondente*

*WILHELMO AVIANO Pachrà Thur. Al. El.*

*ad diem 1. Junij*

*ὑπερόπται τῶν εἰωθότων γίνονται δ᾽ ἄλλοι τῶν ἄσιότων.*

*LIPSIÆ Excudebat JUSTUS JANSONIUS Danus.*

*Sumtibus Nicolai Nerlichij, Anno 1622.*



D. O. M. A.

1712

# EX AMEN

QUESTIOMIBUS FAMOSA

nam hoc nomine periclitantur tempore

An in Anglia & America sit terra incognita  
quod periclitantur scilicet & regna hinc inde

II

An sit Arionem in hisce numeris interpretari  
Hoc cum apponitur & contra Cavendishum

Ad hoc in fine in fine in fine in fine in fine

in fine in fine in fine in fine in fine

Examinis dissertationis publicae

in

de deinde in fine

Veritas habenda est in fine in fine in fine

PHILIPPO MOLLERRO Med. Lic.

cent. & Professor Medicinæ in fine in fine

Respondit


WILHELMO AV. A. O. P. A. I. E. I.

ad fine in fine

in fine in fine in fine in fine in fine

LIPSIÆ Excudit in fine in fine in fine

Sumptibus Nicolai Neichij Anno 1712.



I.



Xtitit paucis ab hinc annis opinio nova de prædictione futurorum, comitata multis absurditatibus tam Theologicis, quam Philosophicis, sedem sibi legens in Calendarijs seu fastis, cotannis proponi solitis.

II.

Sedem alienissimam quidem ab usu & scopo Calendarij, qui est, annum describere per suas partes & tempestates, ex astrorum, eum in finem conditorum, motu, positu, & influxu in hunc sublunarem Mundum:

III.

Idoneam tamen, si quid aliud, & efficacem ad spargendum nova dogmata & propagandum in vulgus, novitatis avidissimum.

IV.

Hujus opinionis invenio tria præcipua capita. 1. enim propositum est illi, historias & vaticinia veteris Ecclesiæ testamenti applicare nostris temporibus, & ut mihi videtur, omnia convertere in allegorias; quod, ni fallor, olim Origeni quoq; vicio datum est. 2. res Ecclesiæ & imperiorum interpretari ex imaginibus cælestibus. 3. partim ex rerum cælestium, partim mysticis numeris, quales vel in canonicis, vel apocryphis aut dubijs saltem scripturæ libris, Esdræ IV. apocalypsi Ioannis &c. extant, utrisq; Ecclesiis & politijs periodos, motus & fata sua prædicere.

V.

Primum opinionis caput excedit Astronomi aut Philosophi captum & examen, nisi quatenus  $\mu\omega\tau\epsilon\mu\psi\acute{\iota}\chi\omega\sigma\iota\upsilon$  Pytha-

A 2

gori-

goricam, nescio quomodo respicit, cujus discussio alterius est loci.

VI.

Posteriorum quoque duorum capitum censura etsi magis Theologos deceat & rerum publicarum moderatores discretos & sapientes, in quibus profanis & sacris historiis versatissimos, quos etiam his de rebus maxime audire oportet, quatenus pronunciant secundum legem & testimonium:

VII.

Confido tamen, me nequaquam latum iri ὑπὲρ τὰ ἐπιμαρτυρένα, si quatenus ea res attingit meam professionem, cuius alioquin censurae mandari solent fasti annui, de his duobus capitibus sententiam in schola breviter, modestè, & citra convicia dixerò.

VIII.

Partim quod interfit meae professionis, quam ornandam pro virili, tuendamque suscepi, modis omnibus providere, ne ab his novis vatibus Astronomia vera & legitima probris aspergatur immeritis, aut etiam ut olim accidit sub Imp. Diocletiano & Maximiniano, propterea eorum, qui se pro Astronomis & Mathematicis gerunt, polypragmosynen & vanitatem incidat in odium & poenam superiorum; aut denique juvenus scholastica à laudatis & concessis, imò humano generi summè utilibus ac necessarijs artibus ad has vetitas, illaudatas, & tantum non impias curiositates avertatur.

IX.

Partim ut ostendam semel pro semper, ut dicitur, cur mihi haecenus nihil rei esse voluerim, nec in posterum esse velim cum hac novâ, σοφία dicam, ἀναρρηγία, ac malim talia sepeliri aeterno silentio, quam manare & serpere in vulgus, & incantare illam, eam in re parens, ut fas est, voluntati & iudicio superiorum, à quibus etiam contra sannas & invectivas adversariorum, in his egregiè exercitatorum, defensum iri spero me, & ut defendar, oro.

Princi-

## X.

Principio dividere Astronomiam, quod isti faciunt, in naturalem & cælestem, Carnalem & revelatam seu apocalypticanam, atq; illam gentibus, magis Ægyptijs, meretrici Babylo-niæ, & similibus Ecclesiæ hostibus; hanc civibus ejusdem, Pa-triarchis, Prophetis, Apostolis, horumq; discipulis tribuere; illi cæcitatem, imposturam, mendacia, superstitionem, tene-bras, paganismum, idololatriam, odium Dei & filiorum ejus; huic veritatem, lucem, gratiam, & amorem Dei & sanctorum, Christianismum, & occultam sapientiam ascribere, quam iidem veram Cabalam nuncupant, per quam Divina Humani-tatis, terrenis cælestia devinciantur & aptentur, ad reseranda mysteria scripturæ & naturæ, prædicenda futura, & quæ sunt id generis massæ & farinæ plura:

## XI.

In his omnibus, si in re ullâ, ludi dico amphibolijs, quæ semper habitæ fuerunt logomachiarum & errorum pernicio-sorum genitrices tam in Theologiâ, quam Philosophiâ, mo-veri & confundi dico rectè & sapienter constitutos disciplina-rum limites, entiaq; multiplicari præter necessitatem: adhæc maledici legitimis & bonis artibus, Dei donis; imperitiores miserè distrahi, perturbari, & quod de alieno ἐκ τῶ περιουσίᾳ adijcio, à præconio & auditu publico verbi paulatim abduci primò ad privatas tantùm lectiones & meditationes ejusdem, cum expectatione singularium revelationum conjunctas, mox gliscente amplius novæ opinionis veneno, ad omnimo-dam neglectiorem & contemptum sacrorum Bibliorum sive privatim sive publicè ruminandorum.

## XII.

Æquè fanaticum & erroneum arbitror, quod iidem scriptitant, & ut coccygis cantum subinde repetunt, esse à Deo non tantùm Mundi regna sed Ecclesiam ipsam cum suis periodis & fortunis inde usq; à primo conditu Orbis, nec Ec-clesiam solummodò, sed & ipsum CHRISTUM, cum omni-bus suis actionibus, miraculis, successibus, eventibus, depi-

A 3

ctum

Etiam in astris & astrorum imaginibus illis, quas primò colle-  
git & disposuit antiquitas, Pöesis convertit in emblemata, au-  
xit diligentia nautarum hodiernorum:

XIII.

Atq; hæc tum respublicas, tum Ecclesiam & caput Eccle-  
siæ concernentia arcana legi posse de cælo, tanquam libro vi-  
sibili, mediantibus picturis & figuris siderum, veluti elemen-  
tis & typis hieroglyphicis, à Deo in hoc conditis:

XIV.

Nec tamen legi posse & explicari ab unoquoque; non cer-  
tè à me meiq; similibus, cæcis & carnalibus (his nos titulis co-  
honestant) hominibus, qui proni suspiciamus & ceu adore-  
mus Aristotelis, Ptolomæi, & gentilium Astronomorum reli-  
quorum vestigia, quibus mundus sit obsignatus liber:

XV.

Sed ab ijs tantum, qui carni totaliter mortui, & Ada-  
mum veterem planè exuti, quales optari magis, quam præsta-  
ri posse in hac vita eheu! nimis verè Theologi docent; habe-  
ant cælitus illuminatos oculos & corda fursum versa; sint  
*θεοδιδασκτοι*, sint occulto numine, & ut loquuntur, fulgure  
afflati.

XVI.

Hos illi capere dicunt verum atq; genuinum sensum &  
originem primam numerorum & imaginum cælestium, hos  
solos sapere, & scire, ut superna concilianda sint infernis, &  
cum eis in unum, ut loquuntur, redigenda concentum; in-  
telligere numeros mysticos & apocalypticos: quid multis?  
Ita gnaros esse & sapientes, ut illius in tertio cælo instituti do-  
ctoris gentium, verè seraphici & angelici, cognitio & scientia  
præ suâ tenuis sit particula & parva lacinia.

XVII.

Quo etiam sine dictum ejus 1. Cor. 13. *Nunc ex parte cogno-  
sco; tunc autem verè cognoscam*; nolunt ad alteram, quæ post hanc  
restat, vitam referre cum nostris Theologis, sed ad tertium ac  
postremum seculum aspectabilis Mundi detorquent, quod à  
pleni-



plenitudine cognitionis rerum omnium, exterminatione im-  
piorum, dominatu CHRISTI & sanctorum gloriosissimo,  
pacatissimo, stentoreis vocibus prædicant, & secundo ac jam  
vertenti seculo subordinant, intervenientibus tribulationi-  
bus immensis, quarum partem jam experti simus, pars in se-  
quela sit. Quæ interpretatio quàm vel textui Paulino; vel  
CHRISTI & Apostolorum vaticinijs congrua sit, Theologis  
judicandum & contra hosce novos Astronomos & cælestes  
prophetas urgendum relinquimus.

XVIII.

Enimverò nil opus est doceri nos primùm ab his sera-  
phicis magistris; dudum enim novimus; totam naturam cæli  
& terræ testimoniam ferre conditori suo; & ex parte referre  
non modò essentiam sed etiam voluntatem ejus. Quâ signa-  
turâ tamen quisquis perversè utitur (usi sunt, & adhuc utun-  
tur gentes omnes, & quid si novi prophetæ ipsi?) perinde est,  
ac si Deo careat.

XIX.

Etiam hoc largimur meritò & ambabus ulnis, posse à si-  
deribus, tam luminaribus, quàm non talibus, tam conjun-  
ctis quàm singulis, peti similitudines & typos rerum Munda-  
narum & spiritualium elegantes & aptas ad illustrandum, ad  
delectandum, movendum, animo concipiendum & retinen-  
dum &c. Ita Psalmus 19. Messiam soli comparat exeunti è ta-  
bernaculo suo, & Malachias solem justiciæ vocat, & Zacharias  
Orientem ex alto. Sic CHRISTUS allegoricè discipulis signi-  
ficaturus, esse cuiq; divinitus assignatum suum curriculum,  
*nonné duodecim, inquit, horæ diei sunt?* Joan. 11.

XX.

Ut autem primum officium siderum & naturæ universæ  
toto genere ab eo distat, quod hîc queritur & spectatur; ac  
longè est aliud, creatorem adumbrari à cælo per attributa sua  
generalia; aliud, creaturas & earum statum & conditionem  
per circumstantias temporis & loci significari & innui:

Ita

## XXI.

Ita circa secundum usum fructum cæli observanda est distinctio inter allusionem & significationem. Allusio nostri est consilij & instituti, nec præter similitudinem aut convenientiam rei declarantis cum declarata aliquod naturæ decretum requirit, per quod se respiciant invicem, & sic unum prælagi, ri queat ex altero.

## XXII.

Significatio ordinem in natura desiderat & relationem ad res significandas, voluntate & arbitrio Conditoris introductam. Jam probent hunc astrorum nexum cum rebus Ecclesiæ & reipub. priusquam earum prædictionibus ex astris locum demus.

## XXIII.

Scimus in viciniam septentrionalis poli quinque asterismos seu imagines perillustres fulgere, apud nos quidem perpetuo conspiciendas, binas sub viri, binas sub mulierum, & unam sub draconis specie. Primæ Persei cum capite Gorgonis seu Medusæ; alteri Andromedæ; tertiæ & quartæ Cephei & Cassiopeæ conjugum & parentum Andromedæ; quintæ draconis nomen & res gestas seu veras seu fabulosas aptarunt & imposuerunt Poëtæ gentiles, & hoc emblemate tanquam glutine quodam arctius astrinxerunt memoriæ.

## XXIV.

Eas si jam Christianus aliquis Poëta vel Astronomus ad CHRISTUM accommodet, qui, instar Persei cujusdam, Andromedam h. e. humanum genus, ex Cepheo & Cassiopeiâ h. e. Adamo & Evâ protoplastis oriundum, à draconis h. e. Diaboli potestate victrice manu redemptum, sibi desponsarit, publicè ostentans in manu Gorgonium h. e. Diabolicum caput: credo tolerari posse hunc, fors etiam laudari, quod eâdem operâ simul & pietatem suam excitet & memoriâ.

## XXV.

Sic Keplerus de stellis Cygni sibi confinxit imaginem salvatoris crucifixi, cui vetus pectori Cygni tributa stella sit pro capite,

capite, nova anno 1604. exorta, rursusq; interlapsis aliquot  
annis veluti mare core confecta, pro pectore. Ac notus est mi-  
hi vir doctissimus in locis exteris, servans imagines Christia-  
nas omnium stellarum, à Copernico excogitatas, & substitu-  
tas in locum Ethnicarum. Similem conatum vide in Bartaf-  
sio, Poëta Gallico præcellentissimo.

### XXVI.

Quod autem hisce usibus destinatae sint à Deo, in vel à  
creatione, imagines cæli, ut vel naturaliter & ordine, vel præ-  
ternaturaliter, extra ordinem, & ex pacto tales res indicent,  
quo pacto cælestis arcus naturâ suâ serenitatem, pacto grati-  
olum fædus significat, id tum credam equidem, ubi vel sa-  
cræ scripturæ, testimonijs vel rationum momentis proba-  
bitur.

### XXVII.

Hyperphysicè & κατὰ σωθῆκην non significant, quod  
nec in Prophetis nec Apostolis, nec vola nec vestigium ejus-  
modi significationis, mantices, & pacti apparet; ac tantum  
abest, ut vel probarint, vel exercuerint hodiernam divinatri-  
cem ex astris sancti Dei homines, ut magno Zelo taxarint &  
abominati sint. Esa. 42. 47. Jerem. 10.

### XXVIII.

Multò minus Physicè; cum sint entia, figmenta, intenti-  
ones seu εἰδωλα rationis nostræ, quæ non possunt naturaliter  
significare, cum talem ordinem aut vim nullam acceperint  
in creatione.

### XXIX.

Esse autem nostræ rationis arbitrio distributas imagines  
per confusa stellarum agmina, documento est certissimo va-  
rietas

B

rietas

rietas & incertitudo opinionum circa figuras & appellationes ac numerum figurarum, tam apud diversas, quam eandem dem gentes & homines,

XXX.

Stellas cycni seu gallinae crucem quoque repraesentare, antea diximus. Idem Pegaso accidit & Delphino, quorum illi apud rusticos majoris; huic minoris crucis in quibusdam locis nomen est. Eadem numero stellae alijs vulturem cadentem efformant; alijs lyram; quibusdam utrumque constituunt. Bootes noster, notante onomastico Hesichij, quibusdam est Orion. Quae nobis Astronomis Ursae dicuntur, agricolis plaustra sunt & currus: Veteribus canes erant, attestante stella postrema caudae ursae minoris, quae Graecis est  $\kappa\nu\nu\theta$  &  $\delta\rho\alpha$ . Idem astrum serpentarius nobis, Avieno Aesculapius, alijs Hercules, nonnullis Glaucus & Triopas vocatur. Eundem Pontanus Poeta plane emasculat, Medeam vel Eurydicen aliquam ex illo faciens. Keplerus amoenius comparat cum Laocoonte Virgiliano Aeneid. 2.

i. de nova  
stel serpent.

*Corripiunt spiris quae ligant ingentibus: & jam  
Bis medium amplexi, bis collo squamea circum  
Terga dati superant capite & cervicibus altis.  
Ille simul manibus tentat divellere nodos.*

XXXI.

Adde mutationem subinde factam cum in stellarum ad constellationis cujusvis integritatem assumptarum, tum ipsarum constellationum numero. Stellae illustres, quae nunc librae pro lancibus serviunt, scorpioni olim pro chelis accensebantur. Imo erat priscis plane ignota libra, cujus assertionis testem laudo Virgilium, qui Georg. 1. asterismo virginis, scorpionis signum proxime subjungit. Sic enim is alloquitur Caesarem in dicto loco:

Anno

*Annè novum tardis sidus T B mensibus addam?  
Quà locus Erigonem ( virginem ) inter chelas q̄ sequentes  
Panditur : ipse Tibi iam brachia contrahit ardens  
Scorpius , & cali iustâ plus parte relinquit.*

— Quasi diceret Poëta : Si vis Cæsar dedicari inter sidera,  
en spacium cæli , quo locari , & stellas , quibus insigniri  
queas !

### XXXII.

Ita nos plejades in dorso tauri ; Vitruvius , Plinius & alij  
in caudâ reponunt , & sic taurum integrum consequuntur,  
quem nos non nisi dimidium habemus. Non pauca stellas,  
Herculi & serpenti Ophiuchi , procedentibus annis inveni-  
untur permutatæ invicem. Nullus in universo cælo Antinous  
ante Antonini tempora , ut ita de clamore Antinoi ineptos  
clamores , & tumultus intempestivos esse oporteat , quos  
nonnulli mœvent. Coma Berenices serò in cælum recepta  
est &c. Quid verbis opus ? nisi sic esset , non Plinius 72 ; Pto-  
lomæus cum suis sequacibus 48 ; Higinus 42. & proinde ali-  
us alio plura vel pauciora signa numerasset in cælo.

### XXXIII.

Tandem quis pignus dabit ? circumpolaria sidera austra-  
lis plagæ , Astronomiæ priscaë incognita , sub iisdem schematis  
& figuris concipi ab australibus populis , quas nautis nostris  
isthuc , ubi videndo sunt , transfretantibus , de his stellis col-  
ligere & imaginari placuit , Pavonem , gruem , columbam &c.

### XXXIV.

Judicet nunc lector ad hujus exemplum rei , sitné veri-  
simile , stellas sub iisdem formis & nominibus , quibus à Græ-  
cis & Romanis ad nos pervenerunt , à Patriarhis quoq; agni-  
tas esse , paucis exceptis , de quibus Jobi 9. & 38. Amos 5.  
B 2 Jerem.

Jerem. 13. quæ & ipsæ, si Hebræa nomina consulas, rebus, quas illi volunt, significandis toto genere adversantur.

### XXXV.

Orion e. g. in adductis locis Kesil est, quod Hebræis, ut audio, furiosum, instabilem, audacem notat: graphicam scilicet, & pulchram CHRISTI & meritorum ejus, si nomen spectes, imaginem. Quis non videt, non minùs apud Hebræos, quam Græcos, nomen datum huic constellationi, à tempestatibus, quas si non ciet, indicat tamen suis ad solem configurationibus? Ut est apud Philosophum 2. meteor. 10. probl. 14. s. 26. & probl. 3. s. 1. χαλεπός, inquit, καὶ δύνων δ' ὠρίων καὶ ἀνατέλλων. Quâ id ratione fiat, non est hujusce loci exponere.

### XXXVI.

Error est proinde opinionis, has imagines alligare cælo ut naturales, & ex ijs de statu Ecclesiæ & humanæ societatis per diversa regna terrarum orbis, tantâ cum præsumptione & fiducia mentis hariolari.

### XXXVII.

Quò accedit alia phantasia & profectò delirij species, quod rectiùs medici curarint, quàm quorum interest, confutarint multis, quò constellationes cæli & eas, quas liber Apocalyps. exhibet, imagines, typos, & numeros comparant invicem, & hac comparatione freti ac animosi nescio quæ non miraculosa & occulta fingunt, refingunt, cudunt, eliciunt, scitissimi scil. omniumq; mirabilissimi fabri,

### XXXVIII.

Quam vereor! ne tales non in Spir. Sancti sed ejus scholâ nati sint & alti, qui Cardanum docuit, Salvatorem nostram crucifigere secundum astrorum cursum, & hoc nomine.

ne erigere illi natalitium thema. *Φεῦ Φεῦ ἀνακιδείας κί βλασ-  
Φημίας!* Hanc tuo Redemptori gratiam reteris stolidissime  
genethliace?

### XXXIX.

Audi: non secundum astrorum significationes natus, exa-  
gitatus, passus, crucifixus, mortuus & resuscitatus est Salva-  
tor, verum *κατ' εὐδοκίαν τῶ θελήματος τῶ θεῶ* secundum  
beneplacitum & voluntatem Dei in plenitudine temporum,  
juxta præfinitionem seculorum in CHRISTO IESU. Sic le-  
gimus: ita scriptum est.

### XL.

Quod si & tempora & facta CHRISTI in cælis visibili-  
bus caractere visibili ad prævidendum notata essent, cur  
D. Paulo vocantur mysterium & decretum à seculis abscon-  
ditum in Mundo? Aut quâ fronte dicere potuit S. Iohannes?  
*Filius, qui est in sinu patris, ipse enarravit nobis.* An enarrare idem est,  
quod ex cælo legere alteri tanquam ex Parcarum tabulis? Sed  
ecce in Theologiam relabimur, ut necesse est in mixtis quæ-  
stionibus fieri.

### XLI.

Cave autem, ne hucusq; dicta nobis sic accipias; quasi  
vel primævam dispositionem stellarum, mentis invitaticem  
ad excogitandum in eis hujus illiusve rei similitudinem, poti-  
ùs cæci casus, quàm Divini consilij esse arbitremur, vel etiam  
ostentis in cælo præternaturalibus, extraordinarijs, insolentibus  
& raris omnem significandi vim adimamus. Non obtu-  
sa adeo gestamus pectora, cives.

### XLII.

Nam ut Deus & natura nihil frustra molimur aut faci-  
unt; *Phys. 8. 16.*

B 3

unt;

de part 1. Sunt; etsi nos intentiones & fines illos non semper assequa-  
5. 2. de anim. nunc nostræ perspicientia lumine, sed miremur sæpè, dubi-  
t. 37. 2. tantes, cui bono? Frustra & sine causa aliquid facere, non est  
Metaph. 1. Deo dignum, inquit Cicero 2. de divin.

### XLIII.

Ita si e. g. vel omnes vel aliqua caelestium constellationum miscerentur invicem, expunctis aut translatis antiquis stellis, aut novis additis, non id certè fortuitum sit, & vanum, sed procuratum, & quæsitum à Deo alicujus rei gratiâ.

### XLIV.

Talia erant miracula olim edita & ostensa cælitus, v. g. retentus aut revocatus solis cursus, prolongatus dies naturalis ultra modulum consuetum, Sol obscuratus in plenilunio cum tenebris profundissimis & universalibus, & ut habet autor Epistolæ, quæ inscribitur Dionysio Areopagitæ ad Polycarpum, cum novo & inaudito saltu Lunæ.

### XLV.

Talia erunt quoq; signa, extremæ diei prænuncia, partim à Prophetis partim à Christo ipso prædicta, stellæ de cælo præcipientes actæ, tremor & concussio virtutum cæli, splendor solis & Lunæ mutatus in sanguinem vel carbonem, Signum Filij hominis in nube &c, modò non quædam ex his non tam κατὰ τὸ φητόν, quàm κατὰ διάνοιαν exponenda veniant, quo de Theologi viderint, quorum hæc & non Astronomorum consideratio est propria.

### XLVI.

Ad eandem classem pertinent, quæcunq; si non præter aut contra, non tamen etiam secundum cotidianum naturæ cursum eveniunt, Astronomi studio cognatiora, Cometæ & stellæ



stellæ novæ, quas in hominum gratiam sive jam ex naturalibus sive præternaturalibus causis consistere, & accendi, & prodire in theatrum Mundi, ut sint pænitentia & instantium mutationum ac pœnarum meritarum præcones, tam probabilis est conjectura, quàm incerta determinatio significationis ad speciem, factæ per circumstantias, temporum, locorum, & personarum.

#### XLVII.

His, inquam, & similibus prodigijs & ostentis ut omnino duce verbo Dei, comite rectâ ratione, concedenda est vis significandi ejus, ad quod ordinata, & ceu prædestinata sunt ab initio:

#### XLVIII.

Ita vicissim non fingendi nobis sunt fines, quos nec Deo, nec Tibi, nec proximo probare possis, & à multiplici absurditate defendere: sed valeat hoc loco sapientissimi Philosophi prænunciatum lib. 3. Φυσ. t. 75. τὸ τῆ νοῦσι τοῖς ἄτοις. Et cogitationes nostræ non sunt rebus essendi causæ. Quo rectæ rationis principio servator quoq; utitur Matth. 6. *Tantum de prima questione.*

#### XLIX.

*Quod ad secundam attinet, dico breviter, numeros sacros sive mysticos non esse absolutos & puros, circa quos Arithmetica versatur, nec etiam concretos cum talibus rebus, quæ cadunt in considerationem & scientiam, non dico Astronomi, sed Mathematici ullius, quàm Mathematici:*

#### L.

Ut ergo numeri tales, ratione numerationis, rei, in addendo, subtrahendo, multiplicando, dividendo, per progressionem, aliamvé proportionem componendo, secando, quadrando, extrahendo, seu quod idem est, figurando, & resol-

resolvendo , consistentis , & sic ratione materialis sui ad Arithmetice[m] pertineant :

L I.

Ratione tamen significati & formalis quod in hoc computo & negotio principale est , altioris sunt indaginis , quam quò ascendere & penetrare queat Mathematici acumen.

L II.

Sed sunt Theologo & Politico non quidem injuncti , propositi tamen , ijsq[ue] arte Mathematicâ instructo & historijs adjuto , & in quo uno ferè sunt omnia , Divinitus gubernato , & ceu manu ducto in venatione hac.

L III.

Ita revidendis & examinandis mercatorum rationibus non logistas puros puros , sed qui negotiandi simul sint experientissimi , & quidem magis ac sapiùs hos quam illos , sapienter utiq[ue] adhibere consuevimus.

L IV.

Fatentur hoc ipsimet hujus commenti autores , dum assumptionem & deductionem , & ut ita loquar ἐγχείρησιν hujus vel illius numeri , & cum hoc vel illo connexionem non naturæ , non artis , sed gratiæ Dei , sed illuminationis , raptus afflatus Spir. Sancti esse contendunt , quam vita innocens præcedat cum sanctis moribus , quarum rerum postrema non est de nihilo , cum Spir. Sanctus rarò intret in malignam animam , aut loquatur per insidiosum , invidum , truculentum , sanguinarium aliquem , Bileamum , Saulum , Caipham.

L V.

Inprimis autem naturales & sacros numeros componentes an confundentes ? confusos miro instinctu & prodigiôsâ

giosâ mentis agitatione ac volatico impetu plicantes, repli-  
cantes, contortuplicantes invicem, & modò in hanc, modò  
in aliam ducentes formam instar nasi cerei, postquam ope-  
randi rationem seriò poscuntur, non nisi per hanc rimam ela-  
bi sciunt anguillæ.

LVI.

Quod si patet eis hoc κρησφύγετον, tantùm abest, ut  
Astronomus aut Mathematicus ullus, ut ne Theologus qui-  
dem ipse possit in hos Cabalistas satis animadvertere, nisi  
facto principio examinis ab illuminatione, cujusmodi sit illa,  
& unde, quorsum tendat, quid spectet, primò omnium ac-  
curatè dispiciens, & explorans attentissimè, num videlicet  
analogiæ fidei, Deiq; verbo & sanis sermonibus Domini no-  
stri JESU CHRISTI & vocationi uniuscujusq; consentanea,  
num à Deo profecta & infusa, & bono fine suscepta sit. Nam  
& ater diabolus lucis angelum simulare didicit: & paupertas  
non rarò mala docet.

LVII.

Præter hæc est aliquid aliud, quod hujus Cabalæ verita-  
tem & autorem mihi suspectum reddit quadantenus, nempe  
quod pro fundamento calculi arripiat ex naturâ eas sæpè  
res & numeros, quæ partim apertè falsæ sunt, partim in ma-  
gnâ incertitudine versantur, ut est duratio Mūdi, Epocha Chri-  
stiana numerus sphærarum cælestium denarius, mot<sup>o</sup> trepida-  
tionis, numerus miliarium continentium diametrum terræ,  
item quadratam figuram non minùs esse simplicem ac circu-  
lum aut triangulum; superius esse sicut inferius secundum  
omnes & singulas partes, & viceversa, & quæ sunt plura id  
generis. Hæc inquam officinæ Spiritus S. parum conveniunt.  
Nam Spiritus Sanctus dux est & magister in omni veritate;  
quem nihil latet omnium rerum tam visibilium, quàm invis-  
bilium.

C

Atq;

Atq; hinc Cabalistsæ illi meo iudicio consultius facerent, si dimissis arduis illis & sublimibus speculationibus in miraculorum naturæ diligentiore contemplatione sese jungerent nobiscum; & hac demum per Divinam gratiam defuncti procederent ad ulteriora. Næ illi affatim inventuri essent in hac unâ, quod agant per totam vitam, nec tamen ullâ vi perducant ad exitum, ut maximè detur eis cornicis ætas.

## LIX.

Jam quid hoc esse dicam? quod persecutiones piorum & mutationes imperiorum pro tam grandibus miraculis prædicentes venditant, cum magis mirandum foret, si sint absq; afflictionibus Christiani, absq; fluctuationibus imperia: causis, uti hodiè, si unquam, tenacissimè perseverantibus, & non mutatis signis, quibus nulla Cabala certior.

## LX.

Plura possem in hanc sententiam, & vellem utiq; nisi effati Philosophici in mentem veniret: *ἐνθεὶς τὰς ἐνθεὶς λόγους διὰν ἐφετάζαν.*

## LXI.

Deum supplex oro, quò nos conservet, errantes autem reponat in eâ luce, quæ nitidissimè micat in Prophetarum & Apostolorum scriptis, & continuâ successione τῶν ὀρθόδοξων ad nos, immenso beneficio Dei in hæc usq; tempora propagata est, quâ beati & contenti, ampliore lumine gratiæ, Cabalístico præsertim, æquanimiter & sine damno animarum nostrarum carere possumus. Habemus Moysen & Prophetas: *Christum & Apostolos*: Hos audiamus; hos respiciamus, & amplectamur; hos teneamus.

U.

LXII.

Ut omnia, quæ aut fiunt aut futura sunt in hoc Mundo amplissimo, sciat homo, ut rimetur ac penetret omnes profunditates, arcana, mysteria, non impetrabitur in hac mortalitate; imò ne expedit quidem; manebit Deo hæc gloria, solus quod sit πάνσοφος; nos autem homines, proclives ad errandum & labendum, quam diu circumferimur ab hoc animali homine; imò etiam liberati ab eodem, separatione naturali, Philosophicâ vel spirituali, incoatâ vel perfectâ, tamen sicut dij non erimus per omnia. O sufficiat nobis esse εἰσαγγέλαις!

LXIII.

Aliud quî promittit nobis, ejus ego vocem similem dixi τῷ πρώτῳ ψευδα. In hac sententiâ maneo, donec probetur contrarium.

ἑπισόδιον

*Nulla supputatio Cabalistica, imò res nulla, post extinctam fidem & charitatem in plerorumq; hominum animis à summo ad infimum, aequè certò presagit vel adventum Domini ad iudicium, vel grandem conversionem reipub. Germanæ, quàm fanaticorum multitudo, qui suis opinionibus absurdis, impiis, horrendis, ab aliquot annis quasi diluvio quodam inundarunt hunc Orbis angulum.*

*Ut ex infinitis unum vel alterum proferam, quale hoc esse censet? quod ante quindecim plus minus annos Crollius, tunc Rosenbergianus in Bohemiâ Medicus in sua Basilicâ Chymicâ in præfatione, inter innumeras depravationes tam sacrorum quàm philosophicorum dogmatum & seductiones miseras incautorum, quarum multas cum nostris Cabalistis communes habet, blatera-*

p. edit. in 8. re non exhorruit; fidem videlicet, per quam mulier ἀιμορροῦσα,  
143. & seqq Centurio, & reliqui liberati sint à suis suorumq; infirmitatibus per  
CHRISTUM IESUM salvatorem nostrum, missum in carnem,  
non fuisse fidem gratiae, sed imaginationis & phantasiae vim, quam  
ibidem fidem naturalem, concreatam & ingenitam appellat, alibi  
p. 61. spiritum & hominem sidereum & Olympicum, astrum & genium  
hominis, umbram visibilem corporis, larem domesticum, Deo-  
rum penatum aliquem, homunculum familiarem sophorum, da-  
monem bonum, internum Paracelsi Adech, spectrum, naturae lu-  
men, Evestrum Propheticum, (& quis omnia nemina Diaboli-  
ca referre potest?) ex eadem facit; etsi utrobique post paucas lineas  
derepentè quasi oblivione lethæa tactus, idolum hoc suum, tot no-  
minibus & titulis celebratum, rursus distinguat à fide naturali,  
& tanquam effectum aut consequens illius consideret, uti est natu-  
ra falsorum, ut secum ipsis depugnent in eodem campo, & tan-  
quam flosculi celeriter decidant.

Per hujus imaginationis defectum idem autor CHRISTO  
minus successisse ait miracula sua in Capernaum. Item Evestrum  
seu Iliastrum solis (aut quicumq; sit tandem ille diabolus, latens  
sub hujus nominis larvâ) homines peccatis eorum ad iram &  
penam provocatum, ob singularem cum humano Evestro parti-  
cipationem, intoxicare & punire per stellarum influxum. Quae  
sententiae an gentium vijs & blasphemijs Idololatricis multò melio-  
res sint propter quas manifestatur ira Dei super homines, The-  
ologi judicent.

Quod in nostrâ Scholâ ex adductis locis auctoris quaeras, hoc  
est: An imaginationis, credulitatis, aut persuasionis tanta sit vis  
& efficacia, ut non tantum in suum corpus (quod suo modo lar-  
gimur & concedimus meritò) sed etiam in alienum & distans, ex-  
currere & agere valeat, producendo & destruendo extra se posita &  
affici-

*afficiendo tam ad bonum, quam malum? Autor affirmat, ob se-*  
*quentes rationes, quas ab eo perplexissime narratas (qua altera falsi-*  
*tatis nota est) syllogisticè, quantum licet, ita comprehendimus: 1. Fæ-*  
*tus in utero est alienum corpus à matre. Phantasia matris agit in*  
*hunc fetum, inurens ei maculas indelebiles. 2. Urina admorsorum*  
*à cane rabido pingitur varijs spectris catellorum. Urina est è nigrois*  
*corporis & separatum quid. 3. Ut se habet cælum cum suis astris ad*  
*Mundum Elementarem, & magnes ad ferrum & ferrea; sic se habet*  
*facultas imaginatrix ad objecta externa. Atqui cælum agit &*  
*miscet elementa; magnes ferrum ducit. 4. Affectuum malorum*  
*vehementia subito extinguit hominem; bonorum attollit & ceu*  
*revivificat. Affectus sunt in phantasia tanquam in suâ causâ.*  
*5. Oscitans oscitare cogit eum, à quo aspicitur, mediante phanta-*  
*siâ. In horum sophismatum 1. propositionem, in 2. historiam &*  
*minorem: in 3. analogiam; in 4. & 5. consequentiam præfiscinè*  
*negamus.*

*Alia mantissa ad explendam  
chartam.*

Eccentricitas, & per consequens maxima distan-  
 tia solis à terris ananū, alijs seculis, aliter Coperni-  
 co habere videtur in magnitudine, quemadmo-  
 dum ex eo recitat Melanchthon in rudimentis  
 physicis lectu dignissimis. Hanc mutationem ex-  
 cusat Copernicus, admirandus artifex, lentulo  
 quodam motu centri eccentrici solaris in epicyclo  
 parvo, ut ex theoreticis Planetarum notum est. Su-

pervenerūt postea ingeniosi an superstitiosi dicam,  
asserentes, latere in hoc epicyclo seu orbiculo fortu-  
næ rotam, continentem fata imperiorum magno-  
rum mundi, secundum transitum centri eccentrici  
per insigniora loca hujus circelli putà summam i-  
mamq; absidem, ac loca intermedia, quæ astrono-  
mis sunt μέσαι ἀποστάσεις. Sic imperium Romanum fa-  
ctum monarchicum, cum centrum eccentrici ver-  
saretur in apogéo circelli, adeoq; esset eccentrici-  
tas maxima. Eodem centro ad distantiarum me-  
diarum alteram delato emerfisse Turcicum, non si-  
ne insigni detrimento & clade Romani, perducti  
jam unà cum descensu centri ad perigeum rotulæ,  
fermè ad metam suam. Ex hoc autem perigéo  
rursum sublatum centrum ad distantiam medio-  
crem alteram prælagire CHRISTUM apparitu-  
rum ad iudicium, eò quòd in mundi conditu hæ-  
serit hoc centrum sub eodem loco, sitq; computa-  
tio hæc consentanea numero domus Eliæ, quo is  
mundi durationem complexus est. Lepidæ me-  
herclè! merces & gratæ nostris Prophetis; quas ta-  
men, ut Sybillæ folia, uno anhelitu disturbarit Ke-  
plerus, eccentricitatis mutationem negans, ean-  
demq; illius magnitudinem omnibus seculis, ra-  
tionibus non spernendis, comprobans. Tycho  
quo-



quoq; , ex alijs fundamentis licet , oppugnavit  
hanc rotulam , præsertim tomo 2. progymn. p.  
313, & seqq. Quibus artificibus & nos  
meritò herbam porrigi-  
mus.

πλείη γαῖα κακῶν , πλεῖη ἡ θάλασσα.  
*Omnia plena malis , plenum mare , plenaq; tellus.*

F I N I S.





Op. var. 87<sup>6</sup>

Va  
De

